



Verum, ad Te,

VIR SVMME REVERENDE.

huius quidquid est, illud praesertim pertinere, nunc paucis adhuc monendum. Multis me TIBI nominibus ac modis deuinctum, libere profiteor, cum Tuum TV in me amorem atque affectum, et nusquamnon, et publico haud ita pridem, cum sacro praefulis glauchauiensis muneri praeficerer, literarum monumento a) satis superque probatos reddideris. *Cum sit in amicitia pestis nulla maior, ut bene MARC. TVLLIVS b) quam adulatio, blanditiae,* et id genus alia, nolo nunc in laudes Tuas excurrere ulterius, vnum tamen silentio hoc loco praeterire haud possum, illud nimirum: tot et tanta Tuorum, in rem sacram, iuxta atque in literas, meritorum proflare testimonia, quorum non, nisi vel ipsum liuorem, quemquam obliuionem capere posse crediderim. TE igitur cum, ita sane volente ipsoque iubente Deo, grauissimo praefulis Schoenburgici officio praeponi nouerim, non potui, quin, optata hac occasione arrepta, beati antecessoris, HOFFMANNI· pii, reliquos inter, confessoris memoriam reuocare, ac recolendam dare satagam, eamque potissimum, TVO quidem nomini consecratam, sistam.

a) Commentatione quadam, qua quidem *Prophetas ecclesiae apostolicae rerum sacrarum fuisse antistites*, pulchre probasti.

b) In LÆL. C. XXII.

Faxit Deus, ut, quod ad decreta sua euenire voluit, omni ex parte, feliciter cedat, et in sanctissimi nominis sui gloriam, ad *Potentissimi Regis nostri et Electoris clementissimi AVGVSTI· ac Illustriss. Patron. antiquissimae Schoenburgicorum Familiae* nutum atque arbitrium, et in coetus sacri ac totius dioeceseos commoda vertatur. Largiatur, optimus bonorum omnium parens, e suis, meliora quaeque, concedat TIBI quidquid petis, bonam, prae caeteris, valetudinem, vires corporis firmas, mentis infatigabiles: benedicat coeptis Tuis omnibus ac singulis, cunctisque in munere mandato subeundis, sustentandis et exantlandis laboribus. Sartam seruet tectamque *Domum Familiamque Tuam Splendidissimam*, ac votis annuat, pro VESTRA quidem salute susceptis, omnibus. Vale V. S. R. meque, quem Tuum fecisti iamdudum, et ulterius amore amplecti et fauore dignari perge. Iterum Vale! Fribergae

Anno S. R. MDCCCLX.

*H. Sax. F. 140, 60*